

quantum dei vicarius in terra, et quicquid facit auctoritate divina facit; et isto modo imperator est a deo id est a summo pontifice vicario dei; et imperium est a deo immediate, quia omnis potestas secundum apostolum<sup>16)</sup> a domino deo est, sed imperium est collatum summo pontifici, cuius ministerio confertur imperatori.

### cap. 58 Quomodo<sup>a)</sup> imperia mutata sunt et de feudo dei.

Et quoniam terra feudaliter transit cum onere, ex quo principes mundi terras a deo conditas et creatas in feudum accipiunt, iustum est ut in recognitionem domini feudaliter iura persolvant. Rex ergo sive quicumque imperator ad duo precipue est obligatus, quorum unum respicit deum et aliud respicit proximum tali principi subditum. Id quod respicit deum est<sup>b)</sup> in duplici modo<sup>1)</sup>: primo ut ipsum solum adoret et nulli ydolo aut cuicumque creature idolatrie<sup>c)</sup> cultum exhibeat; secundo ut eius mandata observet nec aliquo modo contra eius precepta aliquid fatiat. Id quod respicit proximum est, quod princeps debet subditos suos consillere et inducere ad vivendum virtuose et pacem dilligere et deum adorare; et iste est finis intentus a deo, ad quem princeps obligatur ex debito; aliter non rex sed tyrannus est iudicandus. Et quocienscumque aliquis contra aliquod istorum trium fecerit, iuste omni dominio privari potest. Contra primum fecerunt imperatores romani deum contempnentes et ydolis servientes, quo facto suo imperio privati fuerunt. Volunt enim iura, quod a tempore<sup>2)</sup>, quo Nero imperator et senatus et populus romanus comuni consensu apostolos et fidem Christi persequi ceperunt, ex tunc Nero perdidit imperium et quicumque voluit contra imperium rebellare potuit, nec ex tunc licuit alicui christiano ei obedire nec aliquem alium imperatorem ydolatriam sive hereticum super se facere, maxime ad ydolatriam inducentem, quo facto solvitur omnis subiectio<sup>d)</sup> servi ad dominum et omne ius vasalli ad superiorem et etiam fedus matrimonii, quod maius est omnibus aliis. Unde in libro Deuter.<sup>3)</sup> dicitur: 'Non poteris super te facere regem alterius gentis hominem.' Et isto modo propter peccatum lesse magiestatis dei vivi<sup>e)</sup> Romani perdidit imperium toto tempore quo ydolla adoraverunt<sup>2)</sup>. Contra secundum fecerunt Adam et Saul rex Iuda, qui ambo erant reges instituti a deo. Unde Adam ex imperatore, quia dei preceptum contempsit, factus est agriculator, et rex<sup>4)</sup> Saul propter suas insolentias et quia phytonisam consuluit<sup>5)</sup> de regno depositus est; adhuc eo vivente ex dei precepto David in regem loco eius fuit inunctus<sup>f)</sup>. Unde dicitur Ecclesiastici capitulo x.<sup>6)</sup>: 'Regnum a gente transfertur ad gentes propter iniustitias et diversos dollos<sup>4)</sup>'. Contra tertium facit quicumque princeps aut hereticus aut scismaticus, aut propter cuius insufficientiam crimen intollerabile oriretur in populo, aut qui<sup>7)</sup> esset ydiota sensu aut impotens viribus, propter

<sup>16)</sup> Rm. 13, 1.

cap. 58 a) Quod W b) et deum B; cf. Raulich, Riv. Stor. Ital. 8 (1891) p. 10. c) latrerie B d) subito B e) dei vivi om. W f) inventus W

<sup>1)</sup> Zu diesem Gedanken vgl. Thomas von Aquin, De reg. pr. 1, 15 S. 18 f. und die Fortsetzung des Tholomeus von Lucca, ebd., 2, 16 S. 36 f. <sup>2)</sup> a tempore — adoraverunt vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 246, 33—247, 10. <sup>3)</sup> Dt. 17, 15. <sup>4)</sup> rex — dollos vgl. Petrus de Palude, Tract. 244, 24—26. <sup>5)</sup> Vgl. 1. Par. 10, 13. <sup>6)</sup> Eccli. 10, 8. <sup>7)</sup> qui — substituere vgl. Petrus de Palude, Tract. 266, 14—31; teilweise auch in De causa immediata eccl. pot., art. IV f. 48v.